

exempla hujusmodi collegit. D. Henricus Müllerus, Theologus, qui non solum Rostochiensis suos suavi eloquio docuit, sed & libris suis, culturam pietatis promoventibus, multos salubriter adhuc hodie instruit, in spirituali Gratitudinis Ara p. 470. refert ægrotantem morti propinquum, cui obdormienti obverlati fuerint quatuor Angeli ad lectum stantes, duo ad dextram, duo ad sinistram. Unus sudarium manu gestans moribundo lacrymas abstergit, dicens: Absterget. Lacrymas sat multas fudiisti, nunc Christus omnes eas ab oculis tuis deterget. Alter porrigenus palmam acclamavit: Vicisti. Tertius coronam super capite ejus tenuit addita voce: Coronaberis: mox quartus oculos ei clausit, dicens: Vidisti. Hoc lætissimum sibi somnium narravit ægrotus, & paulo post mortuus est. Quamvis autem DEUS eam singularem gratiam non omnibus piis praestet, exhibet tamen nonnullis, ut exinde solatum alii capiant: multis vero moribundis aliquam impetrare, quam ipsi non eloquuntur, haut obscura existunt indicia. Omnium piorum ægrotantium infirmitatibus succurrat Spiritus Sanctus, pro ipsis gemitibus inenarrabilibus intercedens, ut omnes tentationes vincant, & morientes finem fidei vitam æternam consequantur. Et cum adversa etiam omnia, quantacunque obveniunt, iis, qui sunt in Christo Jesu, commendent, gratiam DEI ex illis eluescere, recte expendentes, deprehendunt. Certe si vitam & mortem Nobilissimi, Consultissimi ac Prudentissimi Viri, Domini D. Johannis Peilickii, in Consistorio Electorali & Ducali Advocati Ordinarii, in Urbe hac Senatoris & Ædilis consideraverimus, Librum, Rosas pallentes, ac Horologium, præparationis ad beatam Analysis quasi monumenta a divina providentia ipsis fuisse proposita, inveniemus. Prodiit ille in hanc lucem in ista civitate, die 1. Octobr. Anno M D C L. Patre Domino Wolfgango Peilickio, Senatore & Ædili meritissimo, Matre, Domina Anna Dorothea, Domini D. Johannis Bornii, JCti celeberrimi, Professoris Publici, in Curia Electorali & Ducali provinciali suprema Advocati Ordinarii, in Juridica Facultate Assessoris, & Canonici Numburgensis filia. Qui Parentes filium hunc suum depurgatum Baptismi aqua in Templo Nicolaitano supplicibus verbis DEO commendarunt, & non solum monitis exemplisq; vitae suæ pietatem docuerunt, sed etiam in Religionis Christianæ fundamentis doctisque studiis formandum privatæ Praeceptorum dexteritati tradiderunt, quousq; Academica studia utiliter inchoare posset. Hæc igitur aggressus D. Valentin. Alberti Philosophiam, præcipue Politicam, Christianum Fridericum Franckensteinum, Historiarum Prof. Publ. & L. Ottone Menckenium, Prof. Moralium Publ. historiam legentes sedulo audivit, Jurisprudentiam ex fidelis institutione Avunculi sui charissimi, Dn. D. Henrici Bornii, JCti eximii, in Judicio provinciali supremo, & Scabinatu Assessoris, in Senatu Civitatis Proconsulis hausit universam, & tam in Collegiis quam alibi, quoties occasio ferret, disputando se exercuit. Conscriptis insuper Disputationem ad tit. ff. Naut. Caup. Stab. &c. quam deinde mense Januario An. M D CLXXVI. in Universitate Tubingensi, praesidente JCto longe celeberrimo, D. Wolfgango Lauterbachio, Respondens publice defendit. Postea disputationem inauguralem de Administratione Adventitorum legitima elaboravit, eamque mense Septembri eodem Anno in publica panegyri habuit. Nunc animo agitabat iter in regiones exteriores suscipere: verum Pater senex, annuente Matre, revocans domum fecit, ut intermitteret. Reversus in patriam causas forenses agere coepit, & d. 5. Febr. An. M DC LXXXI. Doctoris titulum, cuius rite impetrandi causa, disputationem inauguralem illam, ante quinque fere annos præmiserat, assumxit. Mox Mense Martio Advocaturam ordinariam in Consistorio Ecclesiastico a Serenissimo Electore petiit & impetravit. Anno M DC LXXXV. Virginem florentissimam Sabinam Elisabetham, Dn. D. Johannis Christophori Jägeri, Curiae provincialis Supremæ & Scabinatus Assessoris quondam unicam